

C. 151.



40


D. IO. AVGVSTVS ERNESTI
S. THEOL. PROF.
ORDINIS THEOLOGICI
PROCANCELLARIVS
ET DECANVS
AD
SOLEMNIA
DISPVATIONIS PVBLICAE
PRO LICENTIA
CAPESSENDI GRADVM DOCTORIS
ET
DVORVM THEOLOGIAE DOCTORVM
CREANDORVM
IN AVDITORIO MAIORI
IPSIIS KALENDIS IVNIIS AB H. VIII.
CONCELEBRANDA
INVITAT

Dr. Johann Ernst



IN NOMINE DOMINI AMEN
D. KARLOVITVS ERNSTVS
ORDINIS THEOLOGICI
PROFESSOR PUBLICVS
ET REGIVS
DISSENTATIONIS PUBLICAE
PRO F. K. J. D. N. T. I. A.
CARRISSENDI GRADVM DOCTORIS
SVM IN THEOLOGIA DOCTORVM
IN THEOLOGIA MAIORI
ET MINORI
P. M. J. K. A. S. I. A.
M. D. C. C. C. L. X. V. I. I. I.





Antiquissimum est Doctorum in scientiae generibus omnibus, scholarumque nomen, sed non eadem vis, non idem vsus. Qui nunc quidem tenet, ita ab antiquiori quoque discrepat, vt nihil prope cum eo simile habeat. Quod cum vulgo non satis cognitum sit, non modo plerisque obscura sunt multa apud veteres, etiam proxime superiorum seculorum, scriptores, sed etiam alia incommoda nascuntur, quibus cum maxime laborare rem literarum publicam dolemus, atque etiam maiora videntur timenda. De quo non alienum videtur, hoc tempore dicere, quantum sine inuidia liceat, nec alienum nec inutile existimauimus.

Initium faciemus a Iudaeis, apud quos antiquissima est Doctorum scholarumque mentio in libris ipsis sacris. Sed in iis, vt in aliis, error magnus exortus est ex eo, quod nomina illa ad nostram consuetudinem relata, doctoresque et scholae nostris similes haberi coepere. Antiquissimi doctores ante Christi tempora fuere prophetae, antiquissimaeque Prophetarum scholae, quorum et discipuli commemorantur: Prophetarum filii dicuntur. Sed hi fuere, qui Prophetas sectarentur, eos consulerent super rebus diuinis, audirent, cum de iis differerent, non certis locis atque horis, sed quoties eius rei facultas et occasio daretur. Sed cum Prophetae defecissent, exorti sunt inter Iudaeos, qui priuatim, suo ducti studio rerum diuinarum accurate cognoscendarum, scriptores ad intelligendum scrutarentur, et

rerum diuinarum in scripturis traditarum vim et rationem modumque ut eas aliis, qui cuperent, perspicue explicare possent; unde quaedam philosophia religionis vel theologia exorta est, et appellata a Iudaeis graece loquentibus. In qua cum non idem iudicarent omnes, sectae diuersae Iudaicae, siue theologicae natae sunt, quae in libris sacris commemorantur, Pharisaeorum et Sadducaeorum. In quibus cum essent, qui aliis suas sententias opinionesque traderent, qui vellent, ii doctores sunt appellati, hique sunt, qui in libris N. T. *νομοδιδασκαλοι*, inprimis et *γραμματεῖς* dicantur: illi quidem a re, i. e. religione, hi a libris sacris e quibus religionis cognitio ducitur. Nam hos esse eosdem, et res docet, et usus horum verborum in libris sacris. Etenim *νόμος* verbum per hebraismum de religione vniuersa, ex usu verbi *הורו*, et in V. T. et in N. usurpatur, quanquam et *γρόμματα*, ut apud latinos *litterae*, pro doctrina, dicta videri possunt, ut Io. VII, 15. vbi eidem *διδαχῇ* substituitur et illa nomina permutantur. Marci quidem c. II, 6; et Luc. V, 17. in eadem re illic *γραμματεῖς*, hic *νομοδιδασκαλοι* sunt. Lucas XX, 46. de *γραμματεῖσι* dicit, quod alibi de *νομικοῖς* et *Φαρισαίοις*, i. e. qui pharisaeica placita sequebantur.

His autem quomodo scholae tribuuntur? non aliter profecto, quam apud Graecos, philosophis, qui in foro, in porticibus gymnasiorum, in officinis artificum et tabernis mercatorum versari, et cum iis, qui ad se accessissent consulendi et audiendi causa, in conuiujs item, similibusque conuentibus, de rebus philosophicis diserebant. Nam similiter discipuli Iesu dicuntur, qui eum solerent comitari atque sectari audiendi causa et consulendi, Io. VI, 66. *οἱ μετ' αὐτοῦ περιπατοῦντες*. Solebant autem doctores illi ire in loca publica, quo tempore eo homines frequentes conuenirent, h. e. Hierosolymis quidem maxime in templum, tempore precum publicarum; ibi in porticibus confidere et si qui accessissent, vel sponte disserere de aliquo capite
reli-

religionis, vel de quo visum esset, vt ap. Lucam VIII, 2. Iesus ingreditur templum et ibi confidet, cum ad eum accessissent homines, Io. VIII, 33. populus, i. e. quidam de populo, eum interrogat, vt X, 23. f. XII, 34. quod saepe inter differendum faciebant, cum aut aliquid non intelligerent, aut aliquid dubitationis in mentem venisset. Ibi tum vero ii, qui assidue scitari solerent doctorem, imprimis, si et ipsi doctores fieri cuperent, confidere prope doctorem solebant; vnde Paullus se dicit apud Gamalielē, qui erat e genere γραμματέων, confedisē, quod idem de Maria assidue et studiose audiente sermones Iesu dicitur Luc. X, 39. In aliis autem vrbibus ea fiebant in Synagogis, vt multis locis librorum sacrorum, praesertim in Actis patet.

Sed quodnam erat genus hominum illud γραμματέων et νομικῶν s. doctorum? an simile nostris? Nequaquam. Erant ex omni genere vitae, nec publice constituti. Paullus quidem, qui disciplina Gamalielis Doctor erat futurus, vt Apollo, vir δυνατός ἐν ταῖς γραφαῖς, id est sine dubio γραμματεὺς, extrinam didicerat ad quaerenda vitae subsidia, eamque artem, Apostolicum iam munus sustinens et faciens, exercebat, vt inde viueret: nec dubium est, ceteros similes in hoc eis fuisse. Honoris et utilitatis publicae causa docendi facultatem appetebant, atque exercebant. Praemium laboris et scientiae erat locus in Synedrio, cum in numerum presbyterorum, i. e. senatorum, lecti essent. Exempla plura sunt in libris Sacris. Nicodemus ἀρχων dicitur: quod est nomen eorum, qui in illo Synedrio sunt, adeoque senatoris: sed eum doctorem populi appellat Iesus Io. III, 10. Non ergo sacerdotes sunt intelligendi, etsi inter eos quoque esse doctores potuere, si qui supra munus illud cerimoniarum sacrarum peragendarum se attollere voluisset, et scientiam rerum diuinarum consecutus esset eiusmodi, vt docere posset. Atque hinc intelligitur, quare in mentione Synedrii saepe cum Pontifice, aut pontificibus, h. e. qui e gente Aronitica essent (γένους ἀρχιερατικῆ)

iunguntur, sicuti et Pharisei et Sadducaeï. Suntque iis in locis intelligendi Senatores, qui essent iidem doctores, iique vel e Pharisaïca, vel Sadducaeorum secta. Itaque interdum totum Synedrium per Pontifices et hos doctores exprimitur, praesertim si de re est sermo, quae ad doctrinam et intelligentiam literarum sacrarum pertineat, vt Math. II, 4. Ceterum Scholae nomen illis temporibus non reperitur, post demum de doctoribus vsurpari coeptum: nam synagogarum nomen, quod in nostra lingua eo verbo imprimitur, plerumque aliud est, locus publicus precum potius, quam doctrinae publicae: nec eae certos doctores habuere, sed qui se ipsi praebent. Post illa tempora memorantur scholae Iudaicae, Tiberiade et Babylone inprimis; sed ne hae quidem e nostra consuetudine sunt capiendae. Neque enim ad eos doctores veniebant, qui adhuc tirones essent, sed iam prouecti in literarum sacrarum scientia, saepe ipsi iam doctores, vt cum iis conuersando, super difficiliore quæstiones differendo, ad perfectionem scientiae peruenirent et ad eorum gloriam possent contendere.

Atque haec ratio a Iudaeis ad Christianos et primum Graecos est propagata, inter quos philosophorum scholae illis Iudaicis similes fuerant. Primos quidem doctores tales apud Alexandrinos reperimus, apud quos ante iam philosophorum scholae tales extiterant, in his clara in primis Ecclētica illa, a Pantaeno orta, vt satis notum est. In his omnium primus fuit *Clemens Catecheta* dictus, a quo *Schola Alexandrina* Christiana originem duxit, Nam Catechetæ nomen non ad nostram consuetudinem in hoc verbo deprimendum est, vt vulgo fecere, faciuntque parum periti, qui et *Scholam Catechetica*m finxere, quae esset *Schola Scholastica*: quo nihil ineptius dici potest. Catecheta est doctor quilibet etiam ex vsu Paullino. Et illi Catechetæ Alexandrini omne genus literarum profitebantur, vt in Clemente et Origene videmus et ab Eusebio traditur. Nec vero illi elementa doctrinae

nae Christianae tradebant, sed doctrinam religionis, per interpretationem accuratam e libris Sacris haustam, philosophorum more tractabant, ut eam via et ratione traderent volentibus; atque inde illa theologia Scholastica, hoc est, subtilior et eruditior nata est, idque nomen tum et pluribus deinceps seculis in laude fuit, ut debuit, sero demum per barbaram incitiam linguarum inquinata, et ad invidiam contentumque eum, in quo nunc vulgo nomen eius est, vocata. Ad hos igitur Doctores non iuvenes et tirones ibant: supra eorum captum erat illorum disciplina; sed viri iam elementa dudum docti qui iam muneribus in Ecclesia fungerentur, ut presbyteri et quicumque ad altiorem in Ecclesia gradum peruenire, et omnino Ecclesiae doctrinae accuratae maioribus copiis prodesse cuperent. Neque illi Catechetae iidem Ecclesiae doctores erant. *Clemens* quidem et *Origenes* presbyteri sunt creati, sed hic in Alexandrina quidem Ecclesia: nimis inuidebant eius doctrinae et gloriae, ut fit, illius Ecclesiae ministri; verum ab Hierosolymitano Episcopo, cum ibi versaretur, eiusque doctrina sanctitasque esset in oculis, hoc honore est affectus, quod et aliis tributum est, non ut in ecclesia docerent, sed ut eorum doctrina et virtus ornaretur eo nomine. Nam omnino illorum Ecclesiasticorum munerum ratio non ut nunc, proprie ad docendi munus pertinebat, ut vulgo existimant. Bene erat, si possent docere populum: sed non poterant omnes; unde et postea, cum iam plures essent, qui possent, hi *presbyteri doctores* sunt appellati, ut a ceteris distinguerentur, qui tantum disciplinam Ecclesiae et externa curarent, de quo genere *Dodwelli* extat ad *Cyprianum* disputatio, quae de *presbyteris doctoribus* inscribitur. Etenim quam doctos, quam idoneos ad docendum putamus eos presbyteros fuisse, qui repente facti essent e decurionibus oppidorum, ex operis aulicis, ad auri lustralis collationem vitandam, quod frequens fuit post Constantini M. tempora?

VIII

ra? Quid in agris, cum esset ita constitutum publice, ut presbyteri ex ipsis pagis fumerentur, non aliunde peterentur: an hos doctores agere in Ecclesia potuisse censemus? Ne Episcopi quidem, postquam a Presbyteris distincti sunt, semper tales lecti sunt, qui Doctores theologiae dici haberique possent: unde cum ad concilia mitterentur, sibi socium adsciuerunt, si quem habebant inter presbyteros vel diaconos, qui doctor esset; quales intelligendi sunt presbyteri et diaconi, qui in subscriptionibus Conciliorum reperiuntur. Nam saepe creati sunt ii, qui ciuilibus muneribus fungerentur, ut Ambrosius, qui Praefectus Praetorii erat, cum crearetur Episcopus; ceterum cum in iis doctrina et virtus spectata esset, studiumque ii suum ad res sacras contulissent, facti sunt doctores, qualem ipsum Ambrosium videmus: itemque in Presbyteris extirerunt Theologi, si ad id munus multum eruditionis attulissent, quales Tertullianum, Cyprianum, Augustinum, et plures alios fuisse scimus. Venerant illi ad Ecclesiam e foro, ut plures alii, in quo causas egerant; quod bene facere ut possent, non modo iuris scientiae, sed etiam eloquentiae operam dederant; cuius comparandae causa e praeepto Ciceronis de Oratore, omne genus doctrinae didicerant et exercuerant: ut deinde, ad quodcunque genus doctrinae se contulissent, in eo facile proficere et excellere possent. Ad horum talium igitur veluti scholas se contulere, viri ingenui et liberales, ex ipso ordine ecclesiastico fere, qui ab iis discerent, sed eo, quo supra dictum est, modo, ut ad Diodorum Tarsensem Episcopum. Simile quid accidit in monasteriis: in quibus cum interdum esset aliquis excellenti doctrina praeditus, in ea venere aliunde, qui et ipsi eam laudem appetere, ut eius consiliis, et consuetudine adiuti, longius progredirentur in scientia rerum diuinarum.

Iam media, quam dicimus, aetate tales doctores multis locis, subinde et in monasteriis fuere, ut in Beccensi *Anselmus*, in Fuldeni

denſi *Rhabanus Maurus*, et alii. Eadem aetate cum in Hispania inter Arabes philoſophiae et matheseos, itemque medicinae studia florerent, eſſentque plures ex iſtis generibus clari ſcientiae magnitudine et ſubtilitate, doctorum nomine ſunt celebrati cum eorum Scholis; ſed ii non elementa tirones docebant, ſed hominum eruditorum iam magiſtri erant. Itaque cum ex omnibus fere regionibus eo veniſſe homines diſcendi cauſa dicuntur, viri fere intelligendi ſunt, qui longius progredi ſcientia alicuius generis cuperent: qualem ſcimus *Gerbertum*, illum Ottonis III. praecceptorem, fuiſſe, qui cum iam Abbas Bobienſis eſſet, in Hispaniam profectus eſt, ad doctores matheseos et philoſophiae audiendos. Similiterque alios pluribus ſeculis reperimus, qui cum muneribus publicis fungerentur, talia itinera eodem conſilio ſuſcepere. Nec alius generis fuere doctores Iuris eorumque diſcipuli in Italiae Scholis, Bononienſi et aliis, et Scholae iuris inſtitutae, non ed elementorum illae tenuitatem, ſed ad perfectionem ſcientiae comparatae. Nam ad eas Scholas iuiſſe traduntur, qui iam in aulis Imperatorum et Principum munera magna tenerent. Nec alia ratio fuit Scholarum philoſophicarum et theologicarum, vt *Abelardi*, *Scoti* et ſimilium: ſeroque demum haec ratio inualuit, vt in ſcholis publicis elementa doctrinarum traderentur: quanquam olim ne in illis quidem acquieuerunt, nec doctores, nec diſcipuli; ſed poſt illa vberioris et ſubtilioris doctrinae copiam illi fecere, hi expetiuerunt. Nec vero in ſcholis publicis modo fuere doctores, ſed etiam aliis pluribusque locis exorti ſunt, qui ſtudio ſcientiae ſuae cum aliis communicandae, et eo ipſo augendi ſuae ſcientiae ſubtilitatem, eius copiam facerent volentibus: in eoque ſe facere putabant, quo bene mererentur ad Eccleſia et republica, et nominis famam late ſpergerent, ad poſterosque propagarent.

Cum deinde paullatim exortae eſſent in quibusdam Ciuitatibus maioribus et illuſtribus per multitudinem talium in omni

B

genere

genere doctrinae virorum, vt Parisiensi, scholae publicae, qua-
 les nunc sunt Academiae, et nomen doctoris factum esset etiam
 nomen dignitatis, multique illam dignitatem appeterent, mul-
 tum ea res valuit ad incitanda studia doctrinae subtilioris, prae-
 fertim, cum institutum esset saluberrimo consilio, vt hoc nomen,
 omninoque potestas docendi praeter eos, qui publice ad docen-
 dum essent constituti, etiam aliis tribueretur, sed tantum his, qui
 per certa et idonea specimina se dignos eo nomine atque honore
 probassent: ex quibus deinde ad munera ecclesiastica maiora mul-
 ti vocati sunt, plures etiam, qui talia munera sustinerent, no-
 men doctoris expetuerunt, atque etiam, doctores in suis sedi-
 bus egerunt: quod etiam in hac patria nostra olim frequens fuit.
 Atque etiam hoc reperimus a maioribus nostris fuisse salubriter
 institutum, vt iis, qui in vrbibus maioribus, in primis, vbi Ec-
 clesiae Cathedrales essent, Antistites sacrorum essent, doctoris
 nomen legitime caperent. Nam ea res habebat hanc vim, vt
 non appeterent talia loca, nisi qui confidere possent, se illud
 cum dignitate capere posse: iuuenes autem, qui se ad studia
 sacra contulissent, et altiora spectarent, vt fere fit in ingeniis
 melioribus et erectioribus, eo acrius ad comparandam doctrinam
 maiorem et perfectam incitarentur: denique in primis, vt per ta-
 les Antistites veluti scholae fierent theologicae, in quibus partim
 exercerentur ii, qui, absoluto academico cursu, expectarent mu-
 nera ecclesiastica, ad retinendam et confirmandam scientiam, quam
 ex Academia deportassent, partim etiam augeri scientia possent.
 Cuius generis plura exempla egregia reperiuntur et in patria no-
 stra et extra eam. In primis est dignum commemoratu *Io. Olarii*,
 Antistitis Sacrorum Halensis extremo seculo superiori, exem-
 plum, cuius schola theologica ita clara fuit illo tempore, vt per-
 multi doctrinae vberioris cupidi, cum Academiam reliquissent,
 Halam irent, vt ab eo discerent, praesertim cum constaret, cum
 in scientia interpretandorum librorum sacrorum ipsos Academi-
 cos

eos doctores fere superare. Et satis certum est, ei incrementa
 eius scientiae ac studii in hac nostra Academia maxime deberi.
 Legimus epistolam Stokmanni, qui Alstadii in Thuringia Praeful-
 sacrorum fuit, viri doctissimi, doctissimorumque filiorum patris,
 nisi fallimur, in capite libelli de Peste, in qua scribit amico, iu-
 cundam sibi esse memoriam amicitiae cum eo contractae Halis,
 in schola Oleariana, ad quam ex Academia Lipsiensi olim venis-
 sent, dicitque octoginta amplius se sodales studiorum in ea schola
 habuisse, qui emensi curriculum Academicum venissent Halas, eo,
 quo ipse consilio, ut in illa schola auferent et perficerent scien-
 tiam rerum sacrarum, cuius fundamenta in Academia iecissent.
 Quo magis optandum est, ut et institutum illud priscum maneat,
 et intelligatur illos honores non ad vanitatem comparatos esse,
 aut ad quaestum Academicorum doctorum, sed ad utilitatem ec-
 clesiae, et ut multi hos honores capessant, nec eos, sumtus vi-
 tandi causa, ut sit, declinent. Videmus et praedicimus, si ille,
 qui nunc inualuit plerisque in Academiis et regionibus contemptus
 honorum Academicorum, studia doctrinae in dies magis magis-
 que lapsura, et breui tempore defuturos, qui doctores publici
 Sacrarum literarum in Academiis fieri possint; qua inopia iam
 nunc pleraeque Academiae incipiunt laborare, et in hac festina-
 tione doctrinae Academicae, quae quibusdam in locis inualuit, ad
 alliciendos illa homines, per spem breuioris sumtus comparata,
 magis in dies laborabunt, nisi caueatur. Sed ablit euentus
 ominis a terris nostris, redeatque doctorum copia, quae supe-
 rioribus temporibus fuit: ut, cum pater noster, ex lege et con-
 ditione, qua ei delata erat Tenstadiensis tum Dioeceseos Epho-
 ria, doctoris honores Vitebergae cepit, vnaque B. Deylingi-
 us et octo alii, omnes e terris nostris. Iuuenes autem, qui se
 studiis sacris addixere, hortamur, ut sibi hos honores animo pro-
 ponant, atque eos sibi omni ingenii studiique vi et impetu con-



tendum putent: promittimusque iis, quicumque exitus spei fuerit, nunquam fore, ut eos poeniteat.

Hoc quidem animo ad studia sacrorum accessisse satis scimus eos, quibus nunc doctoris nomen et ius decreuit ordo noster. Quo facilius speramus hoc a Vobis, Commilitones Carissimi, nos impetraturos, ut eius rei solemnibus frequentes aditis, perque eam occasionem illum sensum altius in animos demittatis, quo vos penitus cupimus imbui. Sed idem etiam petimus ab omnibus aliis, qui apud nos quodcumque genus doctrinae persequuntur, tum vero etiam a Vobis, *Rector Academiae Magnifice, Comites illustr. et Doctores diuinarum humanarumque literarum Consultissimi*. Digni illi profecto sunt, atque ita vosmet ipsos existimare arbitramur, quibus faueatis, nec ingratum hunc honorem habebitis. Et de altero quidem CHRISTIANO GVIL. THALEMANNO Professore Extraordinario et Licenciato S. Theologiae alio tempore iam diximus, alter CAROLVS CHRISTIANVS TITMANNVS designatus Professor theol. in Acad. Viteb. et Praepositus Templi OO. SS. ante Diaconus Ecclesiae Salzensis in Thuringis, dicat de se ipse:

Prope Grimmam vicus est, nomen habet Bahrdæ maioris. Ibi natus sum anno huius Seculi XLIV. patre *Danile Christiano*, A. M. qui ibi tum sacra faciebat, matre *Christina Maria Schulzia*. Initia religionis et literarum docuit me pater ipse, ex cuius disciplina transit ad *Heslerum*, qui Ricobaci prope Torgauiam sacris faciundis praeerat, affinem meum. Postea vero locum nactus sum inter eos, qui munificentia Principis in schola Grimmana aluntur; in qua inter alia hoc inprimis mihi contigit, ut Praeceptores haberem eos, quorum eximia fides, industria atque eruditio esset, *Schwarzium*, nunc S. Theol. Doct. et Cizæ sacrorum antistitem grauissimum, *Krebsum*, Virum Cel. Rectorem nunc praeclare merentem, et de meo ipsius ingenio bonis literis formando egregie meritum; *Opitium*, Virum doctissimum, *Siboldum*, et *Rich-
terum*,

terum, mathematicarum tunc disciplinarum doctorem elegantissimum. Curriculum scholasticum cum nondum essem emensus; praematuro mihi morte ereptus est pater. Iacturae huius sensum minuebat *Heslerus*, quem dixi; sed et hic, cum vix scholae vale dixissem, subita atque inopinata morte e vita discessit. Lipsiam veni anno LXII. tenuissimis ac paene nullis opibus instructus, sola Dei providentia nixus. Atque eius quidem providentiae inde ab illo tempore ea ac tanta in me extiterunt documenta, ut plura et maiora non optare potuerim. Neque enim unquam Lipsiae mihi aliquid defuit ad bene feliciterque vivendum; undique sese mihi offerentibus, qui benignitate liberalitateque sua mihi succurrerent. In quibus primo loco mihi nominandus est S. V. *Ernesti*, eo tempore Academiae Rector, qui iam Patri omne genus benivolentiae praestiterat, me vero et doctrina, et auctoritate, et munificentia plane singulari ita adiuvit, ut mihi omnino sit patris loco colendus. Eius igitur disciplinae me imprimis tradidi, scholisque eius omnibus per quatuor integros annos assiduus interfui. Sed adii quoque non sine multa et magna utilitate scholas *Stemleri*, Academiae et Ecclesiae Lipsiensis ornamenti nuper insignis, et *Crusii*, Viri summe Venerabilis, et de Academia atque Ecclesia immortaliter meriti, mihi vero etiam et aliis nominibus multis, praecipue autem ob veterem amicitiam, quam cum *Schleusnero*, focero meo, et Lipsiae quondam ad D. Thomae Archidiacono, habuit, quamque post eius mortem quoque cura benivolentiaque insigni et vere paterna in domum Schleusneriam demonstravit, maximo opere colendi. *Dathio*, V. S. R. praeter Hebraicae et Syriacae linguae cognitionem tot ac tam praeclara beneficia debeo, ut mihi sit vel maxime venerabilis. *Thalemannum* V. S. R. rebusque meis amicissimum magna discendi cupiditate secutus sum, cum Evangelistarum commentarios explicaret. Philosophiae praecepta hausi ex praeclara et eleganti institutione Excell. *Ernesti* iu-

nioris, Confobrini mei et egregie de me meriti, quem et auctores graecos latinosque interpretantem audiui; item antiquitates Romanas tradentem, atque disputando scribendoque ingenia exercentem. *Gellerti* quoque scholis interfui et Excell. *Klausingio* doctore linguam Anglicanam didici. In hoc Academico cursu decurrendo mihi etiam subuenit Electoralis munificentia et liberalitas Illustris *Tittmanni*, Archiatri olim Electoralis, cuius memoriam semper pia mente venerabor. Nondum decurreram illud stadium, cum benignitate Excell. *Ludovici*, cui a Consultiss. *Rittero*, Ducis Brunsvicensis et Luneburgensis Iustitiario, commendatus eram. Stipendium Grossianum nactus, summos in Philosophia honores ab ordine Amplissimo Academiae Lipsiensis a. LXXVI. petii et impetraui. Eodem anno Ven. *Ernesti* commendatione innotui Magnifico atque Amplissimo Senatu Lipsiensi, inprimisque *Bornio*, *Küstnero* et *Winklero*, Viris illustribus, quorum beniuolentia, quam etiam postea mihi conseruarunt, multisque rebus demonstrarunt, effectum est, vt anno proxime sequente partes Catechetae ad D. Petri aedem mihi demandarentur, cuius beneficii, vt reliquorum memoriam, nunquam desinam gratissima mente recolere. Eo tempore expertus etiam sum beniuolentiam insignem S. V. *Bahrdtii*, cui restituat Deus valetudinem prosperam vitamque in multos annos seruet! item Consultiss. *Richteri*, nunc Praetoris Lipsiensis atque Excell. *Pohlji*, Virorum, ad omnem humanitatem liberalitatemque factorum. Sed cum in eo essem, vt accepta ab Amplissimo Philosophorum Ordine Magisterii iura defendendo pro cathedra libello firmarem: accidit praeter omnem spem opinionemque anno LXX. vt Langensalzam in Thuringis ab Amplissimo eius urbis senatu, commendatione *Weissii*, mercatoris nobilis, cui aliquot annos ante inopinato innotueram, ad munus Diaconi ad aedem D. Bonifacii euocarer. In quo munere administrando singulari Dei prouidentia omnia mihi bene feliciterque successerunt, frui-

que

que contigit communi optimorum quorumque favore et nominatim gratia FRIDERICAE, Serenissim. Ducis Saxo Weissenfels. et Querfurtani Viduae, quae cum vix ab ea discefferam, heu nimis cito! rebus humanis erepta est; deinde vero etiam benivolentia Patronorum Optimorum, inprimis *Reinhardi*, Viri Ill. *Hoppi*, *Pfaffi*, *Hagenbruchii*, Virorum Consultiss. et *Weiffii*; amicitia *Leischingii*, Superintendentis et *Crügeri*, Concionatoris aulici; intima denique coniunctione Collegarum, quibus non esse, ne fingi quidem meliores posse existimo, *Pfaffi* atque *Kranichfeldii*, Virorum multae doctrinae et sanctissimi exempli. Quamobrem ea vrbs est, manebitque mihi semper vel maxime cara atque amabilis, neque illorum omnium, praecipue Collegarum memoriam vlla vnquam apud me delebit obliuio. Quamquam autem munus illud permultos labores habuit, tamen me ab studio literarum non abstraxit; sed quicquid mihi a muneris ratione temporis superfuit, id totum iis tibi. Cuius rei fidem facturus edidi ante hos duos annos Tractatum *de vestigiis Gnosticorum in N. T. frustra quaesitis*. Haec ita agens, innotui rerum sacrarum per Saxoniam Antistitibus Summis et Administratoribus Illustrissimis atque Excellentissimis commendatione Patronorum et Fautorum meorum. Itaque suffragantibus Patribus ac Professoribus Academiae Vitebergensis, factum est, vt Princeps Optimus, erepto nuper rebus humanis *Weickmanno*, in illa Academia Theol. Professore Celeberrimo et aedis OO. SS. praeposito Confistoriique Ecclesiastici Assessore, ei me succedere benignissime decerneret. In quo vti singulare suae prouidentiae documentum ad pietatem fiduciamque in gubernatione eius ponendam semper apud me valiturum, extare voluit Deus, O. M. ita eum supplex veneror atque oro, vt mihi etiam in hoc nouo munere benignus atque propitius adsit, omnibusque meis institutis ac coeptis, successus largiatur ad Academiae Vitebergensis vtilitatem et gloriam profuturos.

Sed

Sed ad hoc munus Academicum rite adeundum cum Doctoris Theologiae Academicos honores capere deberet, iis voluit in ea Academia, in qua didicisset, et a praeceptoribus suis ornari, a Nobisque petiit, ut eos sibi impertiremus. Annuius eius voluntati et ad specimina doctrinae legitima edenda admisimus: in quibus omnibus cum nobis egregie satisfecisset, primum eum Baccalaureum creauimus, deinde disputationem pro Licentia capessendorum honorum Theologicorum pro Cathedra defendere iussimus. Id igitur fiet proximo die Iouis. Quo peracto cum Viro Reu. CHRISTIANO GVI-LIELMO THALEMANNO a Collega nostro Ven. IOH. FR. BVRSCHERO S. Theol. Doctor rite creabitur.

Huius igitur creationis ut spectatores ac fautores adesse velit, *Viri Magnifici atque Excellentissimi, Academiae nostrae Patres atque Doctores, Vosque item Commilitones Generosissimi Humanissimi*, iterum iterumque rogamus. P. P. Dom. Exaudi A. C. MDCCLXXV.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



Fc 1285

Vol 18

ULB Halle 3
004 966 066



Sb.

nr.







40

D. IO. AVGVSTVS ERNESTI
S. THEOL. PROF.
ORDINIS THEOLOGICI
PROCANCELLARIVS
ET DECANVS
AD
SOLEMNIA
DISPVATIONIS PVBLICAE
PRO LICENTIA
CAPESSENDI GRADVM DOCTORIS
ET
DVORVM THEOLOGIAE DOCTORVM
CREANDORVM
IN AVDITORIO MAIORI
IPSI KALENDIS IVNIIS AB H. VIII.
CONCELEBRANDA
INVITAT